

tores, quia non opus esset medicus, si sani essent<sup>1</sup>. Et enim Christus pro impiis mortuus est<sup>2</sup>. Cum ergo agnoscunt impietates suas, et primo imitantur Publicanum illum dicentem: «Domine, propitius esto mihi peccatori<sup>3</sup>:» ostendunt vulnera, implorant medicum; et quia non se laudant, sed reprehendunt se, ut qui gloriatur, non in se, sed in Domino gloriatur<sup>4</sup>, agnoscunt causam adventus Christi, quia ideo venit ut peccatores salvos faceret: «Quia» Jesus Christus venit, inquit, in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum<sup>5</sup>.» Proinde illos Judæos, de opere suo gloriantes, sic arguit idem Apostolus, ut eos diceret ad gratiam non pertinere, qui meritis et operibus suis mercedem deberi arbitrabantur<sup>6</sup>. Qui ergo ad gratiam se scit pertinere, quod est Christus, et quod est Christi, novit quia indiget gratia. Si gratia vocatur, gratis datur; si gratis datur, nulla merita tua præcesserunt ut detur. Nam si præcesserunt merita tua, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum<sup>7</sup>. Si ergo dicis præcessisse merita tua, te vis laudari, non Deum: ideo non agnoscis Christum, qui venit cum gratia Dei. Convertite ergo te ad merita tua, vide illa mala fuisse, ut non tibi deberetur nisi supplicium, non præmium. Et cum videris quid tibi per meritum debeatur, agnoscis quid per gratiam donetur; et sacrificio laudis glorificas Deum. Ibi est enim via, in qua noveris Christum salutare Dei.

<sup>1</sup> Matth. ix, 22. — <sup>2</sup> Rom. v, 6. — <sup>3</sup> Luc. xviii, 13. — <sup>4</sup> I Cor. i, 31. — <sup>5</sup> I Tim. i, 15. — <sup>6</sup> Gal. v, 4. — <sup>7</sup> Rom. iv, 4.

## ENARRATIO

## IN PSALMUM L.

Sermo ad populum carthaginensem.

I. MULTITUDINIS hujus<sup>1</sup>, nec frequentia fraudanda est, nec infirmitas oneranda. Silentium petimus et quietem, ut vox nostra post hesternum laborem possit aliquantis viribus perdurare. Credendum est Charitatem Vestram non ob aliud hodierno die copiosius convenisse, nisi ut oretis pro eis quos absentes facit alienus et perversus affectus. Neque enim loquimur de Paganis, neque de Judæis, sed de Christianis: neque de his adhuc Catechumenis, sed de multis etiam baptizatis, a quorum lavacro nihil distatis, et eorum tamen cordi dissimiles estis. Quam multos enim hodie fratres nostros cogitamus et plangimus ire in vanitates et insanias mendaces<sup>2</sup>, negligere quo vocati sunt! Qui si forte in ipso circo aliqua ex causa expavescant, continuo se signant, et stant illic portantes in fronte, unde abscederent, si hoc in corde portarent. Deprecanda est misericordia Dei, ut donet intellectum ad ista damanda, et affectum ad fugienda, et misericordiam ad ignoscenda. Opportune ergo de pœnitentia Psalmus hodie cantatus est. Loquamur et cum absentibus: erit ad eos vox nostra memoria vestra. Ne saucios et languidos negligatis, sed ut facilius sanetis, sani permanere debetis. Corrigite arguendo, consolamini alloquendo, exemplum præbete

<sup>1</sup> Vide D. Guillon, tom. xxi, pag. 500-514. — <sup>2</sup> Psal. xxxix, 5.

bene vivendo, aderit eis qui affuit et vobis. Non enim, vobis jam ista pericula prætergressis, fons misericordiæ Dei præcisus est. Qua venistis, venient; qua transistis, transibunt. Molestum est quidem, et nimium periculosum, imo perniciosum, et pro certo exitiabile, quod scientes peccant. Aliter enim ad has vanitates currit qui vocem Christi contemnit, aliter ille qui novit quid fugiat. Sed nec de talibus desperari debere, iste Psalmus ostendit.

II. Inscribitur enim titulus ejus: « Psalmus ipsi David, » cum venit ad eum Nathan propheta, quando intravit » ad Bersabee<sup>1</sup>. » Bersabee erat mulier uxor aliena. Cum dolore quidem dicimus et tremore, sed tamen Deus noluit taceri, quod voluit scribi. Dicam ergo non quod volo, sed quod cogor; dicam non exhortans ad imitationem, sed instruens ad timorem. Hujus mulieris uxoris alienæ pulchritudine captus rex et propheta David, ex cujus semine secundum carnem Dominus venturus erat<sup>2</sup>, adulteravit eam. Hoc in isto Psalmo non legitur, sed in titulo ejus apparet; in libro autem Regnorum plenius legitur. Utraque Scriptura canonica est, utrique sine ulla dubitatione a Christianis fides adhibenda est. Commissum atque conscriptum est. Hujus etiam maritum in bello occidendum curavit: homicidio auxit adulterium: et post hoc factum missus est ad eum Nathan propheta, missus a Domino, qui cum argueret de tanto commisso<sup>3</sup>.

III. Quid caveant homines, diximus; quid vero si lapsi fuerint imitentur, audiamus. Multi enim cadere volunt cum David, et nolunt surgere cum David. Non ergo cadendi exemplum propositum est, sed si cecideris, resurgendi. Attende, ne cadas. Non sit delectatio minorum lapsus majorum, sed sit casus majorum tremor minorum

<sup>1</sup> Psal. I, 1, 2. — <sup>2</sup> Rom. 1, 3. — <sup>3</sup> 2 Reg. XI et XII, 1-14.

Ad hoc propositum est, ad hoc scriptum est, ad hoc in Ecclesia sæpe sæpe lectum atque cantatum: audiant qui non ceciderunt, ne cadant; audiant qui ceciderunt, ut surgant. Tanti viri peccatum non tacetur, prædicatur in Ecclesia. Audiunt male audientes, et quærunt sibi patrocinia peccandi; attendunt unde defendant quod committere paraverunt, non unde caveant quod non commiserunt, et dicunt sibi: Si David, cur non et ego? Inde anima iniquior, quæ cum propterea fecerit, quia David fecit, ideo pejus quam David fecit. Dicam hoc ipsum, si potero, planius. David nullum sibi ita ad exemplum proposuerat, ut tu: ceciderat lapsu cupiditatis, non patrocinio sanctitatis: tu tibi tanquam sanctum proponis ut pecces; non imitaris ejus sanctitatem, sed imitaris ruinam. Hoc amas in David, quod in se odit David: præparas te ad peccandum, disponis peccare: librum Dei ut pecces inspicias; Scripturas Dei ad hoc ad hoc audis, ut facias quod displicet Deo: hoc non fecit David; correptus est per Prophetam, non lapsus est in Prophetam. Alii vero audientes salubriter, in casu fortis metiuntur infirmitatem suam; et quod damnat Deus devitare cupientes, ab aspectu securo abstinent oculos: non eos defigunt in pulchritudine carnis alienæ, nec se ipsos faciunt de perversa simplicitate securos, non dicunt: Bono animo attendi, benigne attendi, de charitate diu aspexi. Proponunt enim sibi casum David, et ad hoc illum magnum vident cecidisse, ut parvi nolint videre unde possint cadere. Reprimunt enim oculos a petulantia, non se facile adjungunt, non miscent se mulieribus alienis, non levant oculos faciles ad aliena meniana, ad aliena solaria. De longe enim vidit David illam, in qua captus est. Mulier longe, libido prope. Alibi erat quod videret, in illo unde caderet. Attendenda est ergo hæc infirmitas carnis, recordanda sunt verba Apostoli:

« Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore<sup>1</sup>. » Non dixit, Non sit; sed, « Non regnet. » Inest peccatum, cum delectaris; regnat, si consenseris. Carnalis delectatio, praesertim usque ad illicita et aliena progrediens, frenanda est, non relaxanda; imperio domanda, non in imperio collocanda. Attende securus, si non habes unde movearis. Sed respondes: Fortiter teneo. Numquid tu fortior quam David?

IV. Admonet etiam tali exemplo, non se quemquam debere extollere in prosperis rebus. Multi enim res adversas timent, res prosperas non timent. Periculosior est res prospera animo, quam adversa corpori. Prius corrumpit prospera, ut inveniatur quod frangat adversa. Fratres mei, adversus felicitatem acrius vigilandum est. Propterea videte quemadmodum eloquium Dei in nostra felicitate tollat nobis securitatem: « Servite, inquit, Domino in timore, et exultate ei cum tremore<sup>2</sup>. » In exultatione, ut gratias agamus; in tremore, ne cadamus. Hoc peccatum non fecit David, cum persecutorem Saulem pateretur. Quando David sanctus Saulem inimicum patiebatur, quando illius persecutionibus agitabatur, quando per diversa fugiebat, ne in manus ejus incideret<sup>3</sup>, non concupivit alienam, non adulterata uxore occidit virum. Erat in infirmitate tribulationis suae tanto in Deum intentior, quando miserior videbatur. Utile quiddam est tribulatio; utile medici ferramentum, quam diaboli tentamentum. Factus est securus devictis hostibus, pressura caruit, tumor excrevit. Valet ergo hoc exemplum ad id, ut timeamus felicitatem. « Tribulationem, inquit, et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi<sup>4</sup>. »

V. Sed factum est: dixerim haec eis qui non commise-

<sup>1</sup> Rom. vi, 12. — <sup>2</sup> Psal. ii, 11. — <sup>3</sup> I Reg. xxiv, 5, et xxvi, 9. — <sup>4</sup> Psal. xciv, 3, 4.

runt, ut vigilent custodire integritatem suam, et cum attendunt magnum cecidisse, parvi timeant. Si vero aliquis jam lapsus haec audit, et aliquid in conscientia mali tenens; verba Psalmi hujus advertat: attendat quidem vulneris magnitudinem, sed non desperet medici majestatem. Peccatum cum desperatione, certa mors. Nemo ergo dicat: Si jam aliquid mali feci, jam damnandus sum: Deus malis talibus non ignoscit, cur non addo peccata peccatis? Fruar hoc saeculo in voluptate, in lascivia, in cupiditate nefaria: jam perdita spe reparationis, vel hoc habeam quod video, si non possum habere quod credo. Iste ergo Psalmus, sicut cautos facit eos qui non ceciderunt, sic desperatos esse non vult qui ceciderunt. Quisquis peccasti, et dubitas agere poenitentiam pro peccato tuo desperando salutem tuam, audi David gementem. Ad te Nathan propheta non est missus, ipse David ad te missus est. Audi eum clamantem, et simul clama; audi gementem, et congemisce; audi flentem, et lacrymas junge; audi correctum, et condelectare. Si tibi non potuit intercludi peccatum, spes veniae non intercludatur. Missus est ad istum virum Nathan propheta<sup>1</sup>, attende regis humilitatem. Non respuit verba praecipientis, non dixit: Audes mihi loqui regi? Rex sublimis Prophetam audivit; plebs ejus humilis Christum audiat.

VI. Audi ergo haec, et dic cum illo: « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam<sup>2</sup>. » Qui magnam misericordiam deprecatur, magnam miseriam confitetur. Quærant parvam misericordiam tuam, qui nesciendo peccaverunt: « Miserere, inquit, mei secundum magnam misericordiam tuam. » Subveni gravi vulnere secundum magnam medicinam tuam. Grave est quod habeo, sed ad Omnipotentem confugio. De meo tam letali

<sup>1</sup> 2 Reg. xii, 1. — <sup>2</sup> Psal. l, 3. — <sup>3</sup> I Tim. i, 13.

vulnere desperarem, nisi tantum medicum reperirem, « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam » tuam : et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. » Quod ait : « Dele iniquitatem meam, » hoc est, « Miserere mei, Deus. » Et quod ait : « Secundum multitudinem miserationum tuarum, » hoc est, « Secundum magnam misericordiam » tuam. » Quia magna est misericordia, multae sunt miserationes tuae. Attendis contemptores ut corrigas, attendis nescientes ut doceas, attendis confitentes ut ignoscas. Fecit hoc nesciens? Quidam fecerat aliqua, et multa mala fecerat : « Misericordiam, inquit, consecutus sum, » quia ignorans feci in incredulitate<sup>1</sup>. » Iste David non posset dicere : « Ignorans feci. » Non enim ignorabat quantum mali esset contrectatio conjugis alienae, et quantum malum esset interfectio mariti nescientis, et nec saltem irascentis. Consequuntur ergo misericordiam Domini qui ignorantes fecerunt; et qui scientes, consequuntur non qualem libet misericordiam, sed magnam misericordiam.

VII. « Magis magisque lava me ab injustitia mea. » Quid est, « Magis magisque lava? » Multum inquinatum. Magis magisque lava peccata scientis, qui abluisti peccata ignorantis. Nec sic desperandum de misericordia tua. « Et a delicto meo munda me<sup>2</sup>. » Quo merito? Medicus est, offer mercedem : Deus est, offer sacrificium. Quid dabis ut munderis? Vide enim quem invocas; justum invocas : odit peccata, si justus est; vindicat in peccata, si justus est; non poteris auferre a Domino Deo justitiam ejus. Implora misericordiam, sed attende justitiam : misericordia est ut ignoscat peccanti, justitia est ut puniat peccatum. Quid ergo? Quæris misericordiam, peccatum impunitum rema-

<sup>1</sup> 1 Tim. 1, 13. — <sup>2</sup> Psal. 1, 4.

nebit? Responderit David, responderint lapsi, responderint cum David, ut misericordiam mereantur sicut David, et dicant : Non, Domine, non erit impunitum peccatum meum : novi justitiam ejus, cujus quæro misericordiam : non impunitum erit, sed ideo nolo, ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio : ideo peto ut ignoscas, quia ego agnosco.

VIII. « Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, et » delictum meum coram me est semper<sup>1</sup>. » Non posui post dorsum meum quod feci, non intueor alios oblitus mei, non affecto stipulam ejicere de oculo fratris mei, cum sit trabes in oculo meo<sup>2</sup> : peccatum meum ante me est, non post me. Fuit enim post me quando ad me missus est Propheta, et de ove pauperis similitudinem mihi proposuit. Ait enim Nathan propheta ad David : « Erat dives » quidam habens plurimas oves; pauper autem vicinus » ejus habebat unam oviculam, quam in sinu suo et de » suo cibo nutriebat : venit hospes diviti; nihil de grege » suo abstulit, oviculam vicini pauperis concupivit, ipsam » suo hospiti occidit : quid dignus est<sup>3</sup>? » At ille profert iratus sententiam : plane tunc rex nesciens ubi captus esset, morte dignum divitem dixit, et ovem reddendam in quadruplum. Severissime atque justissime. Sed peccatum ejus nondum erat coram eo, post dorsum erat quod fecerat : suam iniquitatem nondum agnoscebat, et ideo alienae non ignoscebat. Sed Propheta ad hoc missus, abstulit a dorso peccatum, et ante oculos posuit, ut videret illam sententiam tam severam in se esse prolatam. Ad secandum et sanandum vulnus cordis ejus, ferramentum fecit de lingua ejus. Hoc fecit Dominus Judæis, quando ad eum adulteram mulierem adduxerunt, proponentes laqueum tentationis, et in id quod proposuerant incidentes.

<sup>1</sup> Psal. 1, 5. — <sup>2</sup> Matth. vii, 3. — <sup>3</sup> 2 Reg. xii, 2-6.

« In adulterio, inquiunt, hæc mulier deprehensa est : Moy-  
 » ses hujusmodi lapidari jussit ; tu de illa quid censes ? »  
 tanquam bicipiti muscipula tentantes capere Sapientiam  
 Dei, ut si juberet occidi, perderet mansuetudinis famam ;  
 si autem juberet dimitti, incurreret, tanquam reprehensor  
 legis, calumniam. Quid ergo respondit ? Non ait : Occi-  
 dite ; non ait : Dimittite ; sed, « Qui se scit sine peccato  
 » esse, primus in illam lapidem jaciat. » Justa lex, quæ  
 jubet adulteram occidi : sed hæc lex justa ministros habeat  
 innocentes. Attenditis quam adducitis, attendite et qui  
 estis. « Illi hoc audito, unus post alterum discesserunt.  
 » Remansit adultera et Dominus, » remansit vulnerata et  
 medicus, remansit magna miseria et magna misericordia.  
 Adducentes erubuerunt, nec veniam petiverunt : adducta  
 confusa est, et sanata. « Ait illi Dominus : Mulier, nemo te  
 » condemnavit ? Et illa : Nemo, Domine. Et ille : Nec ego te  
 » condemnabo, vade, deinceps jam noli peccare<sup>1</sup>. » Num-  
 quid Christus fecit contra legem suam ? Neque enim Pater  
 ejus sine Filio dederat legem. Si cælum et terra et omnia  
 quæ in eis sunt, per ipsum facta sunt, lex sine Verbo Dei  
 quomodo conscripta est ? Non ergo Deus contra legem  
 suam, quia nec imperator contra leges suas facit, quando  
 confessis dat indulgentiam. Moyses minister Legis, Chris-  
 tus promulgator Legis : Moyses lapidat ut judex, Chris-  
 tus indulget ut rex. Misertus est ergo ejus Deus secun-  
 dum magnam misericordiam suam, sicut hic rogat, sicut  
 hic petit, sicut exclamat et dolet : quod illi adulteram  
 offerentes facere noluerunt ; vulnera sua ostendente me-  
 dico cognoverunt, medicinam a medico non quæsie-  
 runt. Ita sunt multi quos peccare non pudet, agere pœ-  
 nitentiam pudet. O incredibilis insania ! De vulnere ipso  
 non erubescis, de ligatura vulneris erubescis ? Nonne nu-

<sup>1</sup> an. viii, 4-11. — 2 Reg. xi, 4 et 15. — 3 Sap. ii, 24.

dum foedius et putidius est ? Confuge ergo ad medicum,  
 age pœnitentiam, dic : « Iniquitatem meam ego agnosco,  
 » et peccatum meum ante me est semper. »

IX. « Tibi soli peccavi, et malignum coram te feci<sup>1</sup>. »  
 Quid est hoc ? Coram hominibus enim non erat adulterata  
 uxor aliena, et maritus occisus<sup>2</sup> ? Nonne omnes noverant  
 quod David fecerat ? Quid est : « Tibi soli peccavi, et  
 » malignum coram te feci ? » Quia tu solus sine peccato.  
 Ille justus punitor, qui non habet quod in illo puniatur :  
 ille justus reprehensor, qui non habet quod in illo repre-  
 hendatur. « Tibi soli, inquit, peccavi, et malignum coram  
 » te feci : ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum  
 » judicaris. » Cui dicat, fratres, cui dicat, difficile est  
 advertere. Deo utique loquitur, et manifestum est quo-  
 modo Deus Pater non est judicatus. Quid est, « Tibi soli  
 » peccavi, et malignum coram te feci, ut justificeris in  
 » sermonibus tuis, et vincas cum judicaris ? » Videt futurum  
 judicem judicandum, judicandum a peccatoribus justum,  
 et in eo vincentem, quia quod in illo judicaretur non erat.  
 Solus enim in hominibus verum dicere potuit homo Deus :  
 Si invenistis in me peccatum, dicite. Sed forte erat quod  
 homines latebat, et non inveniebant illi quod erat quidem,  
 sed manifestum non erat ? Alio loco ait : « Ecce venit  
 » princeps mundi, » acutus inspector omnium peccato-  
 rum : « Ecce, inquit, venit princeps mundi hujus, »  
 morte affligens peccatores præpositus mortis : « Invidia  
 » enim diaboli mors intravit in orbem terrarum<sup>3</sup>. Ecce,  
 » inquit, venit princeps mundi hujus : ( dixit hæc proxi-  
 » mus passioni : ) et in me nihil inveniet, » nihil peccati,  
 nihil morte dignum, nihil damnatione dignum. Et tanquam  
 ei diceretur : Cur ergo moreris ? Sequitur, et dicit : « Sed  
 » ut sciant omnes quia voluntatem Patris mei facio, sur-

<sup>1</sup> Psal. I, 6. — <sup>2</sup> 2 Reg. xi, 4 et 15. — <sup>3</sup> Sap. ii, 24.

» gite, eamus hinc<sup>1</sup>. » Patior, inquit, indignus pro dignis, ut eos dignos faciam vita mea, pro quibus indigne patior mortem illorum. Huic itaque nullum habenti peccatum dicit in præsentia propheta David: « Tibi soli peccavi, et » malignum coram te feci, ut justificeris in sermonibus » tuis, et vincas cum judicaris. » Superas enim omnes homines, omnes judices, et qui se putat justum, coram te injustus est: tu solus juste judicas, injuste judicatus, qui potestatem habes ponendi animam tuam, et potestatem habes iterum sumendi eam<sup>2</sup>. Vincis ergo cum judicaris. Omnes homines superas, quia plus es quam homines, et per te facti sunt homines.

X. « Tibi soli peccavi, et malignum coram te feci, ut » justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. » Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum<sup>3</sup>. » Tanquam diceretur: Vincuntur illi, qui fecerunt quod et tu David: non enim hoc parvum malum parvumque peccatum, adulterium et homicidium: quid illi qui ex quo nati sunt de ventre matris suæ, nihil tale fecerunt? etiam ipsis imputas aliqua peccata, ut ille omnes vincat cum cœperit judicari? Suscepit personam generis humani David, et attendit omnium vincula, propaginem mortis consideravit, originem iniquitatis advertit, et ait: « Ecce enim in » iniquitatibus conceptus sum. » Numquid David de adulterio natus erat, de Jesse viro justo et conjuge ipsius<sup>4</sup>? Quid est quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam? Etiam ipsum vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum est. Nemo nascitur nisi trahens pœnam, trahens meritum pœnæ. Dicit et in alio loco Propheta: « Nemo mundus in conspectu tuo, nec » infans cujus est unius diei vita super terram<sup>5</sup>. » Novi-

<sup>1</sup> Psal. xiv, 30, 31. — <sup>2</sup> Joan. x, 18. — <sup>3</sup> Psal. l, 7. — <sup>4</sup> 1 Reg. xvi, 18. — <sup>5</sup> Job. xiv, 5, juxta lxx.

mus enim et baptismo Christi solvi peccata, et baptismum Christi valere ad remissionem peccatorum. Si infantes omni modo innocentes sunt, cur matres ad Ecclesiam cum languentibus currunt? Quid illo baptismo, quid illa remissione dimittitur? Innocentem magis video flentem quam irascentem. Quid eluit baptismus? Quid solvit illa gratia? Solvitur propago peccati. Quia si loqui tibi posset ille infans, diceret; et si jam intellectum haberet, quem habebat David, responderet tibi: « Quid me attendis » infantem »? Non quidem vides facinora mea: sed ego in iniquitate conceptus sum, « Et in peccatis mater mea me » in utero aluit. » Præter hoc vinculum concupiscentiæ carnalis natus est Christus sine masculino, ex Virgine concipiente de Spiritu sancto. Non potest iste dici in iniquitate conceptus, non potest dici: In peccatis mater ejus in utero eum aluit, cui dictum est: « Spiritus sanctus » superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi<sup>1</sup>. » Non ergo ideo in iniquitate concipiuntur homines, et in peccatis in utero a matribus aluntur, quia peccatum est misceri conjugibus; sed quia illud quod fit, utique fit de carne pœnali. Pœna enim carnis mors est, et utique inest ipsa mortalitas. Unde Apostolus non moriturum corpus dixit, sed mortuum: « Corpus quidem mortuum est, » inquit, propter peccatum; spiritus autem vita est propter » justitiam<sup>2</sup>. » Quomodo ergo sine vinculo peccati nascitur, quod concipitur et seminatur de corpore mortuo propter peccatum? Opus hoc castum in conjuge non habet culpam, sed origo peccati trahit secum debitam pœnam. Non enim maritus, quia maritus est, mortalis non est, aut aliunde nisi peccato mortalis est. Erat enim et Dominus mortalis, sed non de peccato: suscepit pœnam nostram, et ideo solvit culpam nostram. Merito ergo in Adam

<sup>1</sup> Luc. i, 35. — <sup>2</sup> Rom. viii, 10.